

P. B. KURTSCHIED, O.F.M., *Historia iuris canonici, Historia Institutorum*, vol. I, *Ab Ecclesiae fundatione usque ad Gratianum*, Romae 1941, *Introductio*, 1.

«Historia iuris canonici apte in duas partes dividitur: in *historiam fontium et scientiae iuris canonici* et in *historiam institutorum*.

*In prima parte* describuntur et examinantur variae collectiones, quae decursu temporis ortae sunt et ex quibus leges ecclesiasticae cognoscuntur, quae proinde fontes iuris cognoscendi appellantur.

Cum historia fontium vinculo naturali coniuncta est *historia scientiae et bibliographiae iuris ecclesiastici*, quae certiores nos reddit de illis viris doctis, qui sive colligendo sive commentando leges ecclesiasticas cognitionem scientificam iuris canonici praepararunt et successivum progressum huius scientiae et varias methodos in scholis adhibitas nobis ostendunt.

Altera pars est: *historia institutorum iuris ecclesiastici*, quae etiam historia interna vocatur. Obiectum huius partis sunt ipsae leges seu instituta canonica, quorum exordium, progressus et vicissitudines nobis consideranda sunt».